

primùm tantum bilis effudit in Contraremon-
 strantes, mordicus sententiam Remonstran-
 tium arripens, fore vt postmodùm, tanto one-
 re liberatus, mitior esset; sed ab eo maledictis
 incoctus, & obscure & palàm professus est odiũ
 Religionis nostræ, & conatus est cum *συνεργῆς*
 altaricolis eum cultum subruere, quem supe-
 riori sæculo, adiuuante Diuino auxilio, clara
 Ecclesiæ lumina, Lutherus, Zuinglius, Calui-
 nus, &c. tanto nisu & successu erexerant in Gal-
 lia, Germania, & Belgio. Debemus ingentes
 grates Clarissimo viro Andreae Riueto, quòd
 hominis petulantiam retuderit, sed ingentio-
 res haberemus, si quando (quod subinde facit)
 Geneuenses vocat *Novatores*, homini pro meri-
 tis laruam detraxisset, sub qua, quantumuis in
 multis à Pontificiis discrepet, non potest quin
 prodat se nomen non quidem Ecclesiæ, sed
 Hierarchiæ Romanæ dedisse, cuius tantopere
 placent, imprimis Episcoporum vno filo du-
 cta successio, ab Augustino monacho, vel Eleu-
 therio Episcopo Romano, ad hodierni tempo-
 ris Angliæ Episcopos, eorumque opulentus ap-
 paratus, cum pari authoritate Prætoria in cæ-
 teros